

Petrus de Vinea

*Ep. III 40 (Nondum me salutauerat
epistola, quam misisti...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 40 (Nondum me salutauerat
epistola, quam misisti...)*

settembre 1237

Item scribit ei dominus Capuanus et in ista epistola primo laudat eum et postea mordaciter reprehendit eum.

1. Nondum me salutauerat epistola, quam misisti, cum ex duabus missis a me non levis querela perstreperet, tamquam eas in incertum direxerim, ut per arida climata gelidum aera salutarent. 2. Ideoque se relegatas potius causabantur quam missas, dum ad illum receperant legationis officium, cui sensus et probitas quietem inuident, magisque sibi domesticant discursus quam status, quem sic per fastigia sublimium distrahunt, quod modicum ex eo minoribus familiaritatibus relinquunt. 3. Igitur dum querelae huiusmodi mentem diuellerent, ac si michi ueris obiectionibus conclusissent, tua subito responsalis se obtulit et, indicto silentio murmuri, spiritum in me pacificauit quieti. 4. Nec mora nexus tarditatis rumpitur, facies epistolae reuelatur; ridet species, quia, nisi defuerit colorum uarietas, figurabat picturam. 5. Sed quam primum per clausulas diffunditur oculus, miratur legentis studium, si potuit in homine tale ingenium concipi, quod tantam uerborum pareret maiestatem. 6. Volebam, fateor, turbam quae aderat postico fallere, ut familiarius mecum essem, ne tam dulciloquii stilla deflueret, quae legentis sensibus raperetur. 7. Credisne potuerim, quin citius odor uineae domum repleuerit, quandoquidem in facie Iacobi, quam aliqui nondum uiderant, Petri paginam iam legebant? 8. Fit concursus ad lectionem, urgeor, oblectat series, mulcetur auditor, sed sudant ingenia: dum prouehi satagunt ad alta tribunalia stili, occurrit tandem ille uersiculus: Non cuius homini contingit adire Corinthum. 9. Sed beatus qui intelligit neque curam negligit, sed, dum uacat surculis inseri, et surculos sibi inserit ex

electa uinea Petri: erit tandem, ut talis insitio propagetur in uitem, quandoquidem ex magisterio iudicis quisquis familiariter legerit acinos, cito, certo certius, germinabit racemos. 10. Haec credo pauca sufficiunt, ne scribentis gloria penes me uideatur neglecta, siue quod humiliatur ad ueniam, ubi conscientiam non arguit culpa, siue quod in uerbi cithara patrem filius, sanus languidum, fortis debilem confortauit. 11. In finibus tamen istis, quia metam sibi non signauit epistola, forte gestiens calcibus lacessere, cogor longius progredi, ne michi quid inhereat ex illius scoria dicti, ubi scilicet durum et impossibile iactitas, ut, ad increpanda patris eloquia, non exurgas. 12. Pudet uerbi, quo sibi contrarius pingitur, cum quisquis post ueniam contumeliosus offertur, presertim si patrem increpet filius. 13. Quae contumelia non redimitur hyrco uel pecude, sed tamquam crimen maximum, corripitur morte. 14. Et certe si terrerent plerosque filios tonitrua scripturarum, etiamsi facies eorum patres conspuerent, oculos irreuerentiae non leuarent. 15. Redeat igitur ad se filius et sic secum cognoscet, quod extra se lapsus eum linguae portauit. 16. Hoc enim rectius esse potuit cordi flebile et oculo lacrimosum, ne surreptum tibi patrem uana causaretur opinio, tamquam in te didicerim euentus discernere, ut plauderem prosperis et terga darem aduersis. 17. Dic tamen, si recolis, huiusmodi scolae limina, sicubi uideris plantis Iacobi trita. 18. Audeo dicere: poterit in amicis et specialiter in te, fili mi, de constantia crimen ingeri, sed numquam mutabilitas exprobrari. 19. Non credo talem ymaginem quod de me sculpat ueritas, etiamsi penes te mens ingeniosa coloret. 20. Ideoque potuit sequens clausula de cordis atrio non erumpere, ut irrigationem domesticae uineae translatam ad alias diceret, ex quibus sic lambruscas

colligo, quod de uuis famesco. 21. Amen dico tibi, tales nescio, quamquam ex lambruscis non semper sit usus sterilis, dum uinum liquor colorat pallidum et in floris substantia gratum saporat odorem. 22. Ceterum non intelligo, unde locus fuerit tam graui querelae, ubi nichil sum conscius, quod inter amicos et proximos in me debilitaretur affectus, quin Iacobum Petri et Petrum Iacobi profiterer. 23. Quae sane professio, firmis prouenta radicibus, ita senuit olim in iuvene, ut cotidie pubescat in sene. 24. Valeat ergo Petrus et uinea mea, et quiescat in hoc calamus, ut inter amicos et proximos uel intimos Petrus apud me nulli scribatur secundus.